



Duplicado

R-30.324

ORATIO,

QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM INAUGURATIONE
SEMINARII CONCILIARIS CENTRALIS

DIVI CAECILII

CORAM EXCMO. AC ILLMO. DOCTORE

D. D. BENVENUTO MONZON ET MARTIN
ARCHIEPISCOPO GRANATENSIS,

de Seminariorum origine ac utilitate, die 1.^a Octob.
ann. Dñi. 1881 habuit

DR. D. FRANCISCUS A PAULA GARCIA
ET MILENA,

EJUSDEM SEMINARII VICE-RECTOR
ET THEOLOGIE PROFESSOR.



CUM APPROBATIONE ORDINARII.

GRANATÆ


TYPIS D. JOSEPHI LOPEZ GUEVARA.

1881

Anna Polo 22 AGOS. 93

10857809

A mi querido Compañero
el Sr. D. Mariano de San
Niz Polo.

Mariano de Pizarra




Excme. atque Illme. Domine.

Viri ornatissimi. Discideratissimi juvenes.

Magno cum timore in hanc cathedram hodie ascendo, quam præclarissimi Doctores quotannis meliori jure obtinere. Quid vobis dignum dicere potero, quid novum, quidve jucundum, quod jam non audieritis et certe præstantiori oratione concinnatum? Cum a dignissimo nostro Moderatore mihi commissum fuerit munus aliquid dicendi in solemnibus studiorum instauratione nostri Regalis Seminarium divi Cæciliæ, gravi me pondere sensi oppressum tum ex tanto honore, tum ex exiguitate mearum facultatum. Sed si nefas est a debito se obsequio subtrahere, non possum quin totis enitar viribus ut aliquid afferam. De quo autem? en primæ difficultatis rationem.

Viri ornatissimi, qui summa cum laude hoc me in munere præcesserunt, pertractarunt de Juris Canonici scientia; de Historia Ecclesiastica Theologiæ tyronibus perutili; de rebus moralibus tam in ordine naturæ juxta Christianæ Ethicæ principia, quam in ordine supernaturali ad mores fidei lumine adjuvante informandos; de latinæ linguæ necessitate quoad eos præsertim qui altari inservire debent; ac denique, ne molestus vobis sim, de scientiis philosophicis atque Theologicis, ostendendo non solum

earum præstantiam et utilitatem, sed quod magis interest nostra luctuosissima ætate, tantum abesse eas inter se pugnare, ut potius amico fœdere coalescant.

Post hæc, quid mihi superest dicendum? hac de causa diu anceps fui, quid vobis dignum, aut saltem consentaneum seligerem, atque ad erudiendam hanc juventutem idoneum. Hæc cogitanti, venit mihi in mentem de Seminariis instituere quæstionem, de Seminariis, inquam, quæ salutis subsidium omni tempore fuerunt, præcipue vero hisce flagitiosissimis diebus juventuti ad sacra proferanti futura sunt, et prosperitatis fons omnibus populis

Nonne omnibus compertum est, scientiam atque virtutem, quæ in ministro altaris elucere debent, difficillime extra Seminarium assequi posse? quis non videt populorum felicitatem, christianæ familiæ conservationem necnon ipsam status civilis quietem magna ex parte a Sacerdotum scientia et virtute pendere? At unde hauriri poterunt? Quis ignorat alibi tantum haberi speciosam quandam scientiam, vel potius juxta Apostoli effatum, scientiam quæ inflat non vero quæ ædificat? Et quid de virtute dicam? Quo oculos nostros convertemus? Si mentis illustrationem, optimamque morum institutionem optamus, ad Ecclesiam confugiendum est, ipsa enim est columna et firmamentum veritatis et lucerna lucens in caliginoso loco: ab illa mundi salus pendet, et hodie, sicut heri et in sæcula, mundus per eam salvus fiet, si qua ipsi salutis spes.

Nemo ergo incicias ire audebit, Seminaria instituta fuisse pro Sacerdotibus scientia et virtute informandis, proindeque mirum non est, Ecclesiam ad perficienda ea quæ ad Seminaria spectant, nulli labori parcere: hinc tot labores totque curæ ut doctrinæ et virtutis disciplina semper in ipsis intemerata servetur.

His de causis, mihi videtur peropportunum aliquid de

Seminariis delibare tamquam dilectissimæ utilissimis juventuti. Sed ut perspicuitati consulam, quod dicturus sum, ad hæc duo capita redigam.

Primum: De Seminariorum origine, atque propagatione.

Secundum: De ipsorum necessitate.

Itaque Spiritu S. afflante, B. V. M. tutamine, atque S. Patriarchæ Joseph, Thomæ Aquinatis et nostri inclyti patroni Cæciliæ patrocinio præventus, vestraqûe benevolentia fretus promissa solvam. Benevolis auribus quæso audiatis.

I.

Apud homines sanæ mentis compertum est, Seminaria esse veluti invictam urbem adversus molimina humanæ fragilitatis, mundi illecebras, omnesque fallacias, quæ inexpertæ juventuti fucum faciunt: et quod magis interest, esse pietatis scholas, ubi qui a Deo in suum ministerium vocantur, non solum litteris, disciplinæque Ecclesiasticæ regulis, sed etiam vera devotione enutririvalent, ut postea in vinea Domini digni sint operarii.

Sed quamvis circa hoc a nemine lis moveatur, et mira sit consensus, attamen magna quæstio inter historiosgraphos olim agitata fuit, quo tempore Seminaria instituta fuerint. Aliquibus scriptoribus visum est, ab incunabulis Ecclesiæ Seminaria originem ducere, ita ut in ipsis Apostolorum temporibus regularis vitæ clericorum disciplina exordium cæperit.

Hujus sententiæ patroni afferunt Epistolas Decretales R. P. Clementis primi, Urbani primi, et alias, quæ circumferuntur nomine illorum, qui ante Siricii tempora floruerunt: verum juxta sanæ critices regulas, et juris canonici

peritos, nihil vel parum ad rem valent, proindeque argumenta ex illis desumpta infirmæ sunt auctoritatis.

Et re quidem vera, videtur quod admitti nullatenus possit hæc sententia, utpote impossibilis cum immanis persecutionis statu. Quis non videt, Christi sectatores nihil aliud quam ergastula, equuleos, omniaque tormentorum genera ante oculos habuisse? Quomodo autem in convictoriis sacerdotio initiandi vitam degerent, si tunc temporis nomen christianum scelestissimum habebatur? nonne sævitiae tyrannorum pabulo illa tenella juvenus inserviret, ita ut uno securis ictu percussa fuisset omnis Ecclesiæ spes? Hisce rationibus, et quamplurimis quæ in medium adduci possent, facillime quis percipere valet incertum esse, Seminaria tam præcellentem ortum habere.

Hac de causa, alii scriptores quibus non arridet hæc sententia, volunt primæva Seminariorum fundamenta in primo Concilio æcumenico in Ecclesia, pace obtenta, celebrato inveniri: juxta illos ex canone 55 hujus concilii invictissimum argumentum pro sua sententia erui potest. In præcitato enim canone agitur de officio chorepiscopi, et inter munera quæ ei conveniunt, præcipitur ad sacros ordines non evehi nisi illos, qui digni inveniantur, utque litteris et pietate imbuti, diversis Ecclesiis, pro ipsarum necessitate adscribantur. Audiatur de hoc, Collectionis Labbeanæ Conciliorum annotator. «Cernitur in hoc canone, ait, ratio quædam Seminarii Ministrorum Ecclesiæ, ceu vestigium quoddam Seminariorum, quæ nuper secundum Decretum Synodi Tridentinæ instituta sunt.»

Acriter inter Doctores disputatur de hujus canonis authenticità; sed quidquid sit de hac magni momenti quæstione, ejus solutio ad criticos attinet, pro certo asserere possumus, D. Augustinum ab omnibus indubitanter teneri veluti Seminariorum protoparentem: ita plane eruitur ex duobus ejusdem sermonibus *De Diversis*, in quibus

adamussim regulas, mores, cæteraque omnia ad normam Seminariorum exponit. Quod ita res, se habeat, invictissime demonstrat Thomasinus in suo celeberrimo opere de antiqua et nova Disciplina adversus illos, qui non Clericorum monasterium, sed Monachorum a Divo Augustino institutum fuisse contendebant.

Certum est, non pauca Monasteria ab ipso, vix sacris initiato, erecta fuisse, ubi ut ita dicam, sacerdotalis atque religiosa vita omni studio coleretur; sed posteaquam ad sedem Hyponensem evectus fuerit, in propria domo Clericorum Seminarium instituit, quod tamquam primum in Ecclesia tenendum est. Idem S. Doctor suam mentem patefacit hisce verbis: «Volui habere in ista domo Episcopi mecum Monasterium Clericorum» Gloria laudis viro tam eximio ob ejus præstantissimum opus.

Sicuti e nitida scaturigine ad nemorosæ silvæ irrigationem quamplurimi rivuli profluunt; ita etiam, in omnes Ecclesiæ partes Augustini institutum sese extendit, et grano synapis simile factum est majus omnibus ole-ribus.

Quamplurima argumenta afferre possem pro hujusmodi assertionis confirmatione; sed si mihi non licet orationis terminos transgredi, proindeque intra ejus cancellos coarctor; saltem ut liceat, quæso, in medium adducere aliqua ex innumeris prope testimoniis, quæ ex conciliis toto orbe terrarum celebratis deducuntur. Regnante Carolo Magno Imperatore, et Romæ sedente Leone III, celebratum fuit in civitate Turonensi Concilium, et de hac re sic se habet: «Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus... sed priusquam ad consecrationem Presbyteratus accedat, maneat in Episcopo, discendi gratia officium suum, tamdiu donec possint et mores, et actus ejus animadverti: et tunc si dignum fuerit, ad Sacerdotium promoveatur.»

Eodem anno, scilicet 813, Concilium Cabilonense se-

cundum coactum fuit, quod in cap. 3. ait: «Oportet etiam, ut sicut Dominus Imperator Carolus... præcepit, scholas constituent, in quibus et litteræ, solertia disciplinæ, et Sacræ Scripturæ documenta discantur: et tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur a Domino: *Vos estis sal terræ.*»

Idem prorsus senserunt Concilii Aquisgranensis Patres. En eorum decretoria verba: «Solerter Rectores Ecclesiarum vigilare oportet, ut pueri et adolescentes, qui in Congregatione sibi commissa nutriuntur vel erudiantur, ita jugibus Ecclesiasticis disciplinis corrigantur, ut horum lasciva ætas, et ad peccandum valde proclivis, nullum possit reperire locum in quo peccati facinus prouat. Quapropter in hujuscemodi custodiendis, et spiritualiter erudiendis, talis a Prælatiis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria; eosque ita arctissime constringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, et armis spiritualibus induti, et Ecclesiæ utilitatibus decenter parere, et ad gradus Ecclesiasticos quandoque digne possint promoveri.»

Denique, omissis aliis testimoniis, Meldense Concilium hoc decretum promulgavit: «Qui ex nostris Parochiis, aut ad titulum, aut absolute ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in clero... vel etiam in civitate, saltem uno anno immorentur; ut de vita, et conversatione, atque doctrina illorum certitudo possit agnosci.»

¿Quid amplius? Concilium Parisiense tertium, Francorum Regum Capitularia, vetera Euchologia, cæteraque monumenta, quæ nimis prolixum esset proferre, una voce conclamant Episcoporum curam mirumque zelum pro hujuscemodi scholarum propagatione.

Sed ad nostram Hispaniam deveniamus. In Reccaredi, Isidori, Leandri atque Fulgentii patria, in nostro natali solo innumerabilium martyrum sanguine purpurato, atque a B. V. M. quæ tamquam locum sibi proprium elegit, visitato, ¿extiteruntne seminaria? Brevis disquisitio

palam nobis demonstrat, a dissitis temporibus Antistites nostros maximâ diligentia curasse has scholas instituere, quibus doctrina atque scientia imbuerentur ad sacros ordines postea promovendi. Inter alia invictissima testimonia non ultimum locum obtinent, quæ a Conciliis Toletanis, præcipue vero secundo et quarto statuta fuerunt. Hujus verba audiamus, quibus aperte Seminariorum institutionem urget. Postquam Episcoporum, Sacerdotum atque Diaconorum vitæ normam stabilisset; statim disciplinæ clericalis regulam commendat. «Prona est omnis ætas, ait, ab adolescentia in malum: nihil enim incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut siqui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno Conclavi Atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos, non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputato probatissimo seniore quem et disciplinæ, et testem vitæ habeant.» Ex hoc numquam satis laudato canone plane inferuntur Ecclesiæ zelus et curæ pro adolescentium doctrina. Nec mirum; sciebant enim sapientissimi Toletani Patres, Dei Ministros, juxta Salvatoris verba, esse debere sal terræ et mundi lumen; sed si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? id est, si virtutes in eis non inesse videntur, quomodo sacrum ministerium adimplere poterunt? si in tenebris sunt, forsitam eorum lux fulgebit in domo Domini?

Probe hoc agnoverunt Patres antea dicti: satis comperit illis fuit, Sacerdotem a Deo constitutum esse, ut ædificet et plantet, et evellat et destruat, id est, ut prædicatione et exemplo Dei populum super virtutis fundamentum ædificet, et a vitiis ad meliorem vitæ frugem reducat. Sed cum nullibi melius quam in collegiis seu Seminariis hasce dotes sibi comparare valeat, de institutione atque propagatione ipsorum serio cogitarunt.

Hac de causa, sub Antistitum illorum regimine, mirum in modum istiusmodi sacerdotales ædes per omnes late Diœceses propagatæ fuerunt, e quibus tamquam a

pulchro plantario arbores frondiferi virtutis atque pietatis floribus emicuere: in his sacris aedibus optimi juvenes lac sapientiæ, et mel doctrinæ abunde ab uberibus nostræ Matris Ecclesiæ sugebant; ut postea maximo fulgore tamquam aureum candelabrum in Dei Ecclesia præluerent.

Tempus non fert, ut in percurrendis omnibus Seminariis inmerer, quæ in nostra Hispania ab illo sæculo, generali acclamatione floruerunt. Sed minime possum silentio præterire nostrum regale Seminarium, decus atque ornamentum Granatensis urbis. Quamvis operosum sit, illius primordia certe decernere, attamen minime hæsitandum est de hujus præclari Seminarii existentia jam a prisca temporibus. Postquam e maurorum tyrannide Granatensis urbs liberata fuit, et Crucis vexillum super ejus mœnia a viris præstanti animo pietateque ornatisimis erectum, Catholicorum Regum pietas nihil intentatum reliquit ut ad pristinum splendorem intemerata Jesu Christi religio restitueretur, et Mahumetani erroris spurcities e medio tolleretur. Quis non in Domino gaudebit dum meminerit zelum atque labores pientissimorum Regum Ferdinandi et Elisabeth pro rerum divinarum instauratione? Certe quidem, et inter eorum præclara facinora adnumerari debet quod ad Seminarii splendorem attinet. Numquam satis laudatus Ferdinandus a Talavera, primus hujus Dioceseos post captam urbem Antistes, vir litteris ac pietate apprime conspicuus, a fundamentis erexit nostrum Seminarium juxta Regum placita, quod ideo regali nomine insignitum est.

Propter angustiam temporum pauci extiterunt juvenes, qui in Seminario vitam degerent; tamtummodo numerabantur viginti quinque, ut narrat illius temporis historia. Prima ejus institutio juxta Archipræsulis, Catholicorumque Regum mentem fuit, ut inter collegarum munera Ecclesiæ Cathedralis choro et altari assistentia numera-

retur; sed insuper sapientissime statutum fuit, ut horis divinis persolutis, studio vacarent, præcipue vero grammaticæ, philosophiæ, theologiæ jurisque canonici, quod ut rite fieret, et non solum litteris, verum etiam pietate proficerent, sub eodem tecto, atque sapientis moderatoris regimine morarentur.

Hæc fuerunt, post urbis Granatensis e maurorum jugo liberationem, primordia Seminarii. Ab eo exierunt viri perillustres, qui tamquam præcones seminarunt semen verbi Dei in agro cœlestis Patris-familias, id est in hominum cordibus, et quorum pectoribus infusa Dei charitas, illos induxit non solum Christi doctrinam gentibus prædicare, sed quod magis mirandum, eandem fidem proprio sanguine firmare.

Liceat mihi in nostri Seminarii honorem aliqua præclara horum virorum nomina proferre. Inter primos eminent Illmi. Dr. D. Petrus de Alva, et Gaspar Avalos, hujus Dioceseos dignissimi Archipræsules; D. Emmanuel Herrera, Archidiaconus et Episcopus auxiliaris Ecclesiæ Burgensis, Josephus a Luque hujus almæ Ecclesiæ Granatensis Archidiaconus, Dr. Gamboa insignis Ecclesiæ Collegialis Sanctæ Fidei clarus Abbas; et quamplurimi eximii viri quorum nomina, brevitatis gratia, prætermitto.

Qui vero sub Maurorum seditione Bastetanis in montibus sanguinem suum pro Christo fuderunt, proindeque glorioso martyrum nomine fulgent, sunt Lic. Baltasar Torres, Hieronimus Mesa, Joannes Gomez, Bartholomæus Herrera, Joannes Diaz Gallego, Barnabas Montanos, Joannes Lorenzo, Martinus Caballero, Ojeda, Petrus Espinosa, Franciscus Navarrete, quorum imagines in hoc sacro Sacello ad perpetuam rei memoriam, et nostram ædificationem exstant. Hæc fuerunt nostri Seminarii primitiæ.

Mortuo Archiepiscopo Talavera, aliquantulum a pristino suo splendore Seminarium decidisse videtur: nec mirum, tempora ærumnis plena erant, et præterea non-

dum fuerant extincti cineres Agarenorum dominationis per septem et amplius sæcula. Sed nubilis temporibus transactis, Seminarium pene eversum Caroli Quinti Imperatoris munificentia instauratum fuit: ita plane evincitur Regio diplomate ad Archipræsulem Petrum Ranimirum Alva, dato Granatœ anno Domini 1526, et ut suis sump-
tibus subveniret munificentissime erogavit quidquid necessarium esset. (1)

Ex eo tempore usque nunc exstat nostrum Regale Seminarium, varia diversaque fortuna pro temporum diversitate; et si traditioni fidem non negamus, coram amplissimo Tridentinorum cœtu ab Archiepiscopo Granatensi D. Petro Guerrero tamquam Seminariorum exemplar fuit propositum. Ab hisce postremis temporibus, summo omnium gaudio Seminarium Granatense invalescere visum fuit, præsertim vero opera et labore hujus Dioceseos Archipræsulum usque ad hodiernam diem, cum multum præcellere apparet zelo atque amore nostri dilectissimi Archipræsulis, qui suum Seminarium in deliciis habet, et nihil vehementius paterna cura exoptat, quam ut illud ad perfectionis fastigium ascendere videat.

Laus nostræ Hispaniæ, præcipue vero, Catholicorum Regum pietati, penes quos, licet armorum inter strepitum, res ad Ecclesiam spectantes non ultimum locum obtinebant.

Ex hucusque breviter delibatis, facile colligere possumus, quid de Seminariorum origine atque propagatione sentire debeamus: nunc de eorundem necessitate dicendum.

II.

Si ad altiores fines, quos Ecclesia sibi proposuit in Seminariorum institutione, bene attendimus, non potest non

agnosci illius sapientia. Et re quidem vera: Seminarium, prout ejus nomen sonat, nihil aliud est, nisi pulchrum plantarium ex quo viri, moribus et doctrina inclyti, tamquam arbores fructiferi exeunt in ædificationem corporis Christi. Hac de causa hæc duo veluti sacerdotalis status cardines aestimari possunt.

A sacerdotali vero vita incipiendo, omnibus notum est, minime eam existere, nisi ad tam magnum statum vocatio præcedat, quæ gratia omnino gratuita est, utpote proveniens a Spiritu Sancti inspiratione, qui ubi vult spirat, proindeque nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sed sicuti absque Dei revelatione nullus certus esse potest de sua vocatione, ita etiam unusquisque enixe rogare debet Patrem luminum, ut ei abunde illustrationes conferat, quibus conjicere possit utrum vocatus sit vel non, tum ex piorum cordis motuum scrutatione, tum ex quadam animi propensione ad sacras functiones obeundas.

Hæc divinæ vocationis disquisitio eo magis necessaria est, quod ab ejus neglectu procedit, ut vocationis gratiæ tribuatur, quod forsam posset oriri ex pravis cupiditatibus, mundi illecebris, atque ex inani gloria honorum et dignitatum. Non immerito asseri posset, omnium prope malorum in statum Ecclesiasticum ingruentium proluviem, ex hac depravata radice originem ducere. Enimvero, joh spectaculum ploratu dignum! quamplures nostris temporibus Sanctuarium ingredi audent non a Spiritu Sancto vocati, ideoque non ad ædificationem, sed ad destructionem populorum deserviunt!

Non raro evenit, ut a Deo sit vocatio, verum absque itineris duce, quemadmodum semen quod cecidit inter tribulos suffocatum fuit, ita etiam, prava exempla hanc Dei gratiam efflorescere non sinunt, et Ecclesia populusque christianus privantur zelo atque pietate eorum, qui hominibus virtutis speculum fuissent.

Ex hoc igitur capite sponte fluit Seminariorum necessitas. Et quidem, quomodo juvenes de sua vocatione certiores fierent nisi in his sacris aedibus, juxta Patrum et Conciliorum normam stabilitis, commorarentur? Nonne verum est, tantummodo illic eos acquirere posse virtutes omnes, quæ ad secernendam veram a falsa vocatione maxime inserviunt? Certe quidem, in Seminario enim, sub prudentum Sacerdotum regimine, illorum mentes enutriuntur in solitudinis amore, mundi contemptu, modestia, sobrietate, maxima religionis reverentia, Sacramentorum frequentatione, cæterisque virtutibus summopere inservientibus ad rerum divinarum amorem atque pietatem fovendam. Et quis non videt hæc omnia non parum efficaciam afferre ad vocationem dignoscendam? Sed Ecclesiam prudentia in suorum ministrorum delectu adhuc magis elucet.

Ut status Ecclesiastici dignitas in juvenum animis altius infigatur, non solum sacri ministerii magnitudinem in conspectu eorum apparere facit, verum etiam quanto æstu et animarum zelo laborare debeant, et quod maximi momenti est, ut solummodo in privationibus, quæ nostrum statum comitantur, veram vocationis hæreditatem videant. Hisce rationibus permoti, unanimiter omnes conclamant, maximam esse Seminariorum necessitatem pro vocatione rite dignoscenda.

Sed non minus eadem apparet necessitas ad vocationem fovendam quam ad dignoscendam. Ea est humana conditio, ut divinæ gratiæ resistat; multoties Dei intus in cordibus nostris pulsantis vocem despiciamus; quapropter Apostolus sæpe nos admonet, ne extinguatur in nobis Dei afflatus. Si, quod Deus avertat, postquam ad tantum fastigium Sacerdos evectus fuisset, servo inutili similis, abscondisset talentum in sudario, et otio vacaret, contra Dei et Ecclesiam propositum; seu quod magis dolendum, si propriæ dignitatis oblitus vanitati, voluptatibus, et

effrenatæ licentiæ se dederit, quod maximum dedecus etiam laicis est, fortase in hujusmodi Sacerdote ordinationis gratiam, vocationisque spiritum penitus extinctum non diceres? nonne ea non mulcabitur pœna quam in Evangelio legimus de servo, qui reposuit talentum in sudario, et nihil cum eo lucratus fuit, quod scilicet aufere-
tur ab eo propter ejus ignaviam?

Quis autem neget in hunc miserrimum statum facile decidere posse Sacerdotem propter passionum tumultum, rerum mundanarum voluptatem, atque innumera propemodum pericula, quæ undique illum circumstant? Equidem: et si aliquod munimen adversus infensissimos ejus hostes invenire velimus, nihil aliud extat quam Seminarium, intra cujus mœnia a mundi contagione vindicabitur; nam in Regio Vate legimus, Deum animam ducere in solitudinem ut loquatur ad cor ejus. Ita etiam qui in Sacerdotium cooptatur a tenera ætate in Seminario vitam degere debet, procul a rebus sæcularibus, omnibusque oblectamentis, quæ magis magisque a pristino fervore arcent. Sed si ei acciderit in statum adeo miserum devenire, tactum dolore cordis intrisecus coram Deo judice eum tanti poeniteat facinoris, ut verus altaris minister in posterum ab omnibus videatur.

Hac de causa, et ad vitanda pericula, quibus juvenes sunt obnoxii a primis ætatis annis, sapientissime a Sacrosanta Tridentina Synodo statuta fuit Seminariorum erectio, inter alia ob id potissimum rationis momentum, propter juventutis pericula. En ejus verba. «Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte, ac sine maximo, et singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, disciplina Ecclesiastica perseveret: Sancta Synodus statuit, ut singulæ cathedrales, Metropolitanæ, atque his majore

res Ecclesiæ pro modo facultatum, et Diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis, et Diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere ac religiose educare, et Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur.» Enimvero; ¿quæ horum adolescentium conditio absque Seminarii auxilio? A pravis exemplis, cupiditatibusque incitati, circumferrentur omni vento doctrinæ, et firmissima religionis institutione, æqua justis et veri æstimatione, et quod illis maximi momenti est, ad bonum seligendum prudentia carentes, nusquam digni Dei ministri esse possent.

Nec admittendum est, quod á nonnullis objicitur, videlicet, parentum proprium esse instituendæ juventutis munus, quia nihil comparari valet paterno zelo. Quamvis hoc verum esset, quod valde in dubium revocari potest, eos interrogare liceat: ¿patresfamilias omnes vel fere omnes idonei sunt, ut filiorum suorum mentes in veritate, animosque in Dei atque virtutis amore, ac vitiorum fuga enutrient, ita ut jure merito patres vocentur, non solum propter carnalem, verum propter spiritualem etiam generationem? Si ita esset, valde in populis morum rectitudo efloresceret. Sed hoc admissio, et non concessio, ¿num sub paterna cura semper manerent? ¿Numquid non timendum est, ne cæteris juvenibus consociati mores corrumpant, et amissa priscorum annorum puritate in errorum et vitiorum barathrum incidant? ¡Proh dolor! quam multos qui lacte doctrinæ et virtutis a primæva sua ætate enutriti fuerunt, propter absentiam ab ædibus Seminarii in apostasiam lapsos ploramus, maxima cum offensione fidelium!

¿Quis autem inficias ire audebit, juvenem sacro ministerio dicatum nullo alio in loco, quam in Seminario institui debere? Certe quidem; ita simul cum ætate in virtute maxime proficiet, et cum adoleverit in se experietur veri-

tatem sententiæ Christi Salvatoris agentis, jugum suum suave esse, et onus suum leve; et ratio quidem in promptu est, quia justa Jeremiam, «Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.» Si ergo Sacerdos, qui ad altare munus suum offert, et preces cum lacrymis, thuris odore permixtis, ad Deum elevat, ab adolescentia viam Domini cucurrit, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Hac de causa, iterum atque iterum quæro, ubi nam vitia vitare, virtutesque discere juvenes possint nisi in Seminario? Illic sub matris Ecclesiæ alarum tegmine ab omnibus malis omni tempore immunes erunt; illic orationi et studio vacantium, eorum spiritus semper Deo adhærebunt; illic mundi illecebris omnibusque rebus secularibus spreto, veras divitias, amare cupient, charitate flagrantes, et domus Domini zelo accensi nihil intentatum relinquent ut coram Deo digni appareant sacrorum ministri. Et quis unquam in dubium revocare posset, Deum qui habitat in cœlis suæ gratiæ rorem super eos plene effundere? Equidem, et ipsa gratia suffulti in conspectu populorum apparebunt veluti sol qui errorum tenebras dissipabit. Tunc antem mundus, maxima licet luce corruptus, justitiæ semitas ingredietur, et tam magno exemplo commotus, idola quæ hucusque adoravit, in ignem mittet, et soli Deo serviet in spiritu et veritate.

Hujus rei gratia permota Tridentina Synodus manum admovit ad Seminariorum instaurationem; quia ut ajebant Patres, incassum pro morum reformatione laboratur, nisi Clerici sanctitate et omni genere virtutum informantur; quia «nihil est, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt.» Ex laudatis igitur Concilii verbis invictissimum argumentum eruitur pro juvenum levitarum in Seminariis institutione, eo præcipue fine, ut pietatis exercitiis dediti, postea luceant omnibus qui in domo sunt, id est, Christi

fidelibus sint exemplum honorum operum.

Sed quamvis vitæ et morum directio magnopere intersit eorum qui ad sacra ministeria deputantur; attamen non sufficit, sed prærequiritur doctrina, seu quod idem est, maxima scientiæ copia, ut adimplere possint gravia onera super humeros ipsorum imponenda; Sacerdos namque, ut ejus nomen significat, est sacer dux, et si cæcus cæcum ducat ambo in foveam cadunt: proindeque sicut sol inter stellas, ita effulgere debet in cœlo Ecclesiæ propter eminentem scientiam suam.

Sub hoc autem respectu Seminariorum necessitas magis ac magis augeri videtur. Si scientiam in altaris ministro prærequiri bene perspeximus, non potest non agnoscere eam ita esse illi propriam ut non nisi, ab Ecclesia, et a magistris ab ipsa deputatis ebibere debeat, quia Ecclesiæ institutio toto cœlo distat a sæculari institutione.

Et minime hic illorum opinionibus assentiri possum qui contendunt in gymnasiis sæcularibus omnes indiscriminatim scientias condisci debere, proindeque Seminaria velut inutilia rejicienda. Quantum isti a veritate abhorreant facile deprehenditur, si hoc tantum animadvertimus, quam magnum discrimen inter studia sæcularia, et ecclesiastica, juxta mentem Tridentinorum Patrum, hodie præsertim intersit.

Enimvero, nullo meliori modo hoc discrimen quis percipere valebit, quam si Tridentini decretum circa juvenum in Seminario institutionem serio perpendat. Ejus ergo verba audiamus: «Grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent. Sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ spectant ad confessionem, et rituum et cæremoniarum formas, ediscent.» Hæc omnia, si rem bene perpendimus, ad sacrorum ministrorum institutionem tantum-

modo spectant, proindeque munus illa docendi solius Ecclesiae est.

Sed adhuc alia potissima ratio est pro ecclesiastica institutione. Salvator noster solum Ecclesiae suae sanctae evangelizandi populos munus commissit: «Euntes in mundum universum, dixit Jesus Apostolis, docete omnes gentes.» Patet igitur ex his verbis, solam Christi Ecclesiam veritatis custodem atque magistram esse, seu potius magisterium vivens quod usque in saeculorum finem perdurabit; et Dei voluntas est, omnes homines huic divino magisterio subjici, ita ut qui ejus vocem audiant, salvi futuri sint, qui autem spernant, in aeternum perire debeant.

Age porro, si docendi munus ex Christi institutione Apostolis eorumque successoribus commissum fuit, nonne laicorum erit, humiliter eorum verba audire monitisque obtemperare? Habita igitur horum ratione, et aliis brevitate gratia omissis, merito infertur Ecclesiam jure veritatem omnibus populis patefaciendi gaudere, utpote a suo Divino Fundatore omnium gentium magistram constitutam.

Sed non possum non plorare Ecclesiae inimicorum caecitatem, qui rabie ac furore adversus Christi sponsam concitati illud divinum magisterium funditus tollere conantur eique civilem auctoritatem subrogare: ita ex novissimis erroribus ab Ecclesia damnatis manifeste apparet: inter multorum errorum agmen qui hodie nos circumstant, sufficit oculos conjicere in propositionem 45, et 46 Syllabo contentas. En Ecclesiae inimicorum verba: 45 «Totum scholarum publicarum regimen in quibus juvenus christianae alicujus reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat Seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui ut nullum alii cuicumque attribui auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum,

in graduum collatione, in delectu et approbatione magistrorum.» 46 «Immo in ipsis clericorum Seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.»

¿Quis non videt quam crudeli vulnere nostræ matris Ecclesiæ cor transfigatur? ¿Numquid non est hoc, Divinum Ecclesiæ magisterium principum sæcularium potestati subicere, et Dei verbum criterio fallibilium hominum alligare? ¿Cui autem dixit Jesus Christus: Euntes docete omnes gentes? num sæculari potestati, an Ecclesiæ? si autem Ecclesiæ, hujus verba non solum reverenter audire, verum etiam in cordibus suis magna cum æstimatione custodire debent omnes homines cujuscumque conditionis, quamvis regio diademate caput ornent.

Ígitur si ex dictis Ecclesiæ proprium est docere, proindeque omne magisterium illius magisterio subijci debet, ¿quanto magis sub ejus regimine ac moderamine sacrorum ministrorum institutio erit, ita ut hæc a sæculari omnino segregata existat?

Hæc omnia præ oculis habentes, sine aliqua offensione, quinimo ex cunctorum hominum sanæmentis sententia recte concludere possumus, nonnisi in Seminariis ab Ecclesia institutis scientiam ad res ecclesiasticas spectantem elargiri debere, proindeque ea non parum utilitatis afferre Ecclesiæ sanctæ atque omni populo Dei.


Laus perennis viris sanctitate atque meritis præclarissimis, qui a primævis Ecclesiæ temporibus, salutis animarum zelo flagrantes, nihil intentatum reliquerunt, ut in ædibus sacris juvenes levitæ pie sancteque viverent; maxime vero laureato cœtui Tridentinorum Patrum, qui Spiritu Sancto afflante suum de Seminariis instaurandis decretum omnibus Diœcesibus, tota plaudente Ecclesia, in publicum proposuerunt.

Sed tempus est ut huic pauperrimæ orationi finem imponam; et pro ipsius coronide liceat mihi, juvenes dilectissimi, in memoriam revocare aurea verba Divi Isidori,

quæ altius mentibus vestris infigere debetis: «Tam doctrina quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit.» Hisce verbis, studiosi juvenes, omnia vestra officia continentur; et si vultis in posterum digni Dei esse ministri, juxta hæc facite, quia scientia et doctrina sunt veluti duo illi Cherubim, qui in Arcæ propitiatorio Dei jussu collocati erant pro ipsius custodia; vos eritis vigilantissimi custodes Ecclesiastici Paradisi, et ut tantum officium adamussim implere possitis, non sufficit vos moribus Angelos esse, sed etiam requiritur scientia in Cherubim adumbrata, ut populos per semitas justitiæ ambulare faciatis: ita pulchre interpretatur Divus Carolus Borromæus. «Quemadmodum in Arca Testamenti, ait, duo illi Cherubim ita collocati erant, ut semper mutuo se aspicerent; ita vita concionantis doctrinæ ex altera parte respondere debet, usque adeo, ut et vitam doctrina collustret, et doctrinam rursus vita corroboret, viresque perpetuo addat.» Ne umquam obliviscamini hujusmodi verborum.

Cogitate etiam in perpetuum salutifera consilia nostri amantissimi Præsulis, qui toto animo de hoc Seminario cogitat omnique cura in ejus prosperitatem incumbit. Memores semper estote ardentissimi amoris, quo vos ipse prosequitur; ejus ergo sollicitudini et amoris vestra docilitas amorque respondeant. Obedite etiam vestris magistris et superioribus, qui omni zelo et prudentia pro vobis invigilant.

Faxit Deus, ut hæc monita in cordibus vestris semper retineatis, et virtute et scientia simul cum ætate plurimum proficientes, in cœlesti paradiso coronam gloriæ pro mercede laborum accipiatis. DIXI.



NOTAS.

(1) CÉDULA REAL DEL EMPERADOR CARLOS QUINTO PARA LA FUNDACION DE UN COLEGIO, Y DE UN SEMINARIO.

Don Carlos por la Diuina clemencia, Emperador semper Augusto, Doña Juana, y el mismo don Carlos por la gracia de Dios, Reyes de Castilla, etc. A vos el muy Reuerendo Padre don Pedro de Alua, electo de la Iglesia y Arzobispado de Granada, salud y gracia. Sabed, que nos acatando, y considerando los muchos y grandes beneficios que Dios nuestro Señor, é de su poderosa mano auemos recibido é recibimos cada dia, de que le somos deudores, é desseando enderezar nuestros subditos (como somos obligados) al conocimiento y lumbré de nuestra Fé Catolica, y dotrina Euangelica, para que enseñados en ella la sigan y obren, é obrandola alcancen por ella la bienauenturanza, para que todos somos criados. E considerando asimismo, que las ciudades y villas, é lugares del Reyno de Granada ha muy poco tiempo que se ganaron, é tomaron delos Moros, é que al presente no ay en el dicho Reyno estudios, é escuelas donde puedan ser mostrados é enseñados, é instituidos en las ciencias algunas buenas personas para que prediquen y enseñen la Dotrina Euangelica, é para que informen á los fieles Christianos, é mayormente á los nueuamente conuertidos, en lo que han de hazer, é obrar. E asimismo viendo que no ay escuelas, é lugares conuenientes, donde los hijos de los Christianos, especialmente de los nueuamente conuertidos desde su niñez, y tierna edad sean enseñados, é dotrinados en las cosas de la Fé, é otras loables costumbres. Para remedio de todo lo qual, nos con parecer de algunos Prelados de nuestros Reynos, é algunos de nuestro consejo, y otras personas de buena vida y dotrina que para ello fezimos juntar en nuestra Corte, auemos acordado de hazer, y edificar en la ciudad de Granada como cabeza del dicho Reyno, vn Colegio de Logica, Filosofia, é Teologia, é Canones, en el qual, y de aqui adelante para siempre jamas, aya doze Colegiales, y vn Retor, y que estos tengan para su seruicio vn despensero, vn cozinero, y vn refitolero, y vn portero. Y que en el dicho Colegio aya quatro Maestros, para que aquellos, é otros que aora ay en la dicha ciudad, lean las dichas ciencias, é artes, de Logica, é Filosofia, é Teologia, é Canones, é Gramatica, é casos de conciencia. E otro sí, que junto con el dicho Colegio aya vna casa que sea escuela, en la qual aya continuamente a lo menos cien niños, que por aora de presente, los primeros que en ella se pusieren sean hijos de nueuamente conuertidos del dicho Arzobispado de Granada, quales al dicho electo pareciere, é que allí se les dé de comer, é de beber, é vestir é calzar, é las otras cosas necessarias, é que aya maestros, é personas de ciencia é prudencia, para que les enseñen y dotrinen, en las cosas de nuestra santa Fé, e en otras buenas é loables costumbres. E para susten-

tacion e alimentos de todos los dichos maestros é Colegiales, é niños, é personas, he mandado dotar é señalar cierta contia de maravedis en nuestras rentas reales, e en otras ciertas partes. E porque cerca de la forma é manera de como han de ser recibidos, é elegidos los Maestros e personas que han de leer y enseñar las dichas ciencias, é los dichos Colegiales y seruidores de los dichos niños é de que han de tener, é como y en que recogimiento é obseruancia han de estar, é viuir, é como han de ser dotrinados e criados los dichos niños, y hasta que tiempo, é todo lo otro que cerca dello se ha de guardar é cumplir, conuiene de se hazer ordenanzas é instituciones, confiando de la mucha ciencia, é prudencia, buena vida y exemplo de vos el dicho electo de Granada. E viendo que assi cumple al seruicio de Dios é nuestro, é á la buena conseruacion y perpetuidad de todo lo susodicho, por la presente vos encomendamos é cometemos, é vos damos todo nuestro poder cumplido é vastante, para que teniendo á nuestro Dios ante los ojos, é las buenas é santas consideraciones, é respetos que para semejantes casos se han de tener, podais hazer y hagais todas las ordenanzas é constituciones que vos pareciere, conuiniere, é deue hazer cerca de la forma é manera, de como ha de ser el dicho estudio, é colegio, é casa de niños, y quantos Maestros y Letores, é quantos Colegiales é seruidores ha de auer en ellas, y como y quales personas, y de que calidad han de ser recibidos, y acogidos en ellas, é que forma han de tener en su manera de leer, enseñar, é estudiar, é en su vestir é comer, é en todas las otras cosas necessarias, é quanto ha de auer cada vno de los dichos Maestros, é Letores, é personas de salario, é sobre todó lo otro de suso contenido, é sobre las otras cosas que vos vieredes que conuiene hazer ordenanzas é constituciones para seruicio de Dios nuestro Señor, é la buena orden é conseruacion de todo lo dicho. E assi hechas las embiaredes ante nos, para que como patronos é fundadores que somos, y auemos de ser de todo ello, lo confirmemos y aprouemos, y embiemos á suplicar á nuestro muy santo Padre que lo confirme y aprueue, y conceda y dé para ello las bulas é breues que fueren necesarios, etc. En esta ciudad de Granada a siete dias del mes de Nouiembre, año del nacimiento de nuestro Salvador IesuChristo de mil y quinientos y veinti seis años. YO EL REY. Por mandado de su Magestad. Francisco de los Cobos.

